

APPROBATA

MEDIA,

AQUIS SUBMERSOS,

ET

SUFFOCATOS,

AC

ALIA RATIONE

INFORTUNATOS HOMINES,

APTISIME JUVANDI,

QUE


IN OBSEQUIUM

SUB QUINTA FEBRUARII 1779.

AD EXCELSUM REGIUM LOCUM-  
TENENTIALE CONSILIUM HUNGA-  
RICUM EMANATE ALTISSIMÆ

REGIÆ RESOLUTIONIS

PRO COMMUNI UTILITATE, ET  
NOTITIA PUBLICANTUR.



POSONII,

TYPIS FRANCISCI AUG. PATZKO, A. 1780.

THE UNIVERSITY OF

ST. PAUL

THE UNIVERSITY OF ST. PAUL

THE UNIVERSITY OF ST. PAUL

THE UNIVERSITY OF ST. PAUL

THE UNIVERSITY OF ST. PAUL

THE UNIVERSITY OF ST. PAUL

THE UNIVERSITY OF ST. PAUL

THE UNIVERSITY OF ST. PAUL

THE UNIVERSITY OF ST. PAUL

THE UNIVERSITY OF ST. PAUL



*Lit. A.*

## Instructio,

Qua ratione, & quibus mediis  
Aquis Suffocatis oportunissimè  
subveniri possit.

**C**um in simili casu omnis conatus eò tendere debeat, ut Pulmones, & Cerebrum à congregato, & stagnante ibidem copioso sanguine liberentur, hincquè ad ordinarium suum cursum concitentur, ideò:

*Primo*: Præsentissimum ad hoc medium est, si vena jugularis, ex una vel altera colli



li parte aperiatur, aut si hæc nequiret, oportet in Brachio vel Pede, aut quacunque demùm Parte potuerit venæ incisionem facere, & 8. aut 10, ac si Circumstantiæ id requirant, etiam plures sanguinis uncias accipere: Sciendum tamen est, in Pede nunquam, in Brachio rarò, in Collo semper sanguinem profluere. Sub fluxu sanguinis per tactuum arterarium, & cordis explorari debet, an motus aliquis, indicium certissimum restitutionis, animadvertatur.

*Secundò*: Si Chirurgus, qui venæ incisionem perficiat, non adesset, debet instantaneè quæri, & adduci, intereà verò ex aqua extracto homini, madidæ Vestes demii, corpus ipsius ficcari, ac aliis vestimentis, tegumento, vel centone cooperiri, nares claudi, & per os aer cum vehementia inflari.

*Tertiò*: Medio follis, aut thecæ cultrariæ, in cuspide apertæ, vel fugibuli, aut alterius tubuli aer, vel quod præstantius est, fumus tabacæ, per posticum, ad rectum ipsius intestinum impelli; qui calidus tabacæ fumus, multò adhuc commodius, medio pro hac ipsa re destinatæ Syringæ ingeri possit: in defectu verò hujus,  
po-



poterit Clysterium, de sextario aquæ, in qua semuncia tabacæ cocta est, confici, & tepidè medio vesicæ applicari.

*Quarto*: Interea pectus, & latera, ubi costarum maxima inflexio est, calente manu iteratis vicibus leniter terantur.

*Quintò*: Ex Aquis extracto, ut primum potuerit, temperato calore succurratur quod oportunè præstabitur, si tela lineæ, aut vestimentò laneò benè calefactò, non modò involvatur, verùm etiam hujusmodi calidis telis toto corpore, præsertim verò per spinam dorsi leni manu continuò teratur.

*Sextò*: Ut præscriptus calor aquis submerso procurari possit, oportet eundem, ut primum extractus est, ad proximam domum, ubi calidus lectus haberi poterit, deportare, & eundem, vel

*Septimò*: Per duorum benè valentium hominum, qui se cum submerso ad eundem lectum deponant, nativo calore calefacere vel

*Octavò*: Corpus Submersi, lecto, ad 4. digitorum altitudinem calidis cineribus re-



pleto, imponere, ac rursùm calidis cineribus, vel calefactis tegulis, vel lapidibus, vel deniquè ligneis orbibus, telis involutis, tegere, ac ibidem aliquot horis, donec fortè vitæ indicia in eo animadvertantur, relinquere.

*Nonò:* Ubi vitæ signa dederit post venæ apertionem fortissimi spiritus naribus infirmi applicentur, vel sicci pulveres Tabacæ ad nares insulentur, deniquè possunt ex præmissis spiritibus aliquot guttæ in aqua ejus ori infundi.

Quamvis autem adhibitis his mediis submersus vitæ aliquod indicium dederit, non tamen desistendum est, ab applicatione eorundem aliquot adhuc horis, experientia enim docuit, quod hujusmodi homines, etiam post primos motus, quod maturè destitum sit à mediis adhibitione, exspiraverint.

Posteaquam hæc media copiosæ experientiae ad restituendos aquis præfocatos homines, præstantissima esse comprobantur, eadem publico nota redduntur, cum spe, quod consueta hæctenùs indigna modalitate, infortunati hujusmodi homines tractandi non sint, quos inexperta ruditas,  
in



in vasis volve, capite deorsum invertere, vel etiam ligatis pedibus, è fune inversos suspendere consueverat.

Id adhuc adjiciendum, etiam iis, qui se ex atræ bilis commotione, aut Melancholia, vel alia ex ratione suspenderit, maximè si constet, factum esse recens, eadem, quâ aquis præfocatis modalitate succurri posse.

☆☆☆☆☆☆☆☆☆☆☆☆☆☆☆☆☆☆☆☆


*Lit. B.*

## INSTRUCTIO

Qua Ratione à carbonum vapore suffocatis succurrendum.

**U**bi unus aut plures in Cubili quopiam clauso à carbonum vapore suffocati adinventi fuerint, quorum vultus, collum, brachia, & totum corpus solito crassius, & acsi inflatum esset, tumore tensum est, & motus Arteriæ vix sentiuntur. Eotùm

*Primò:* Maximè præsentaneum subsidium est, suffocatos è concluso, ad liberum



aerem exportare, & præclusis naribus per os eorum aerem potentius inflare.

*Secundò*: Sicut de aquis Submersis dictum ampliorem venæ incisionem facere, & quamvis sanguis non illicò erumpat, desistendum non est, sed rursus altera vena, dein tertia pro exigentia circumstantiarum secanda.

*Tertiò*: Suffocatus recenti aqua in vultu, & pectore aspergatur, naribus ipsius acetum fortissimum applicetur, aut eodem incessanter teratur: Si dein Suffocatus sibi restitui cæperit, & in statu glutiendi fuerit, poterit eidem haustu aquæ calidæ, in decimilitate aceto permixtæ, celerrimè succurri.

*Quartò*: Utiliter etiam, uti superius de aquis suffocatis notatum est, hoc in casu teruntur corpora infirmorum calidis telis. Deniquè

*Quintò*: Applicetur etiam prædictum Tabicæ Clisterium se nel, aut sæpius pro exigentia circumstantiarum; istud enim paucas ante hebdomadas isthic optatam sequelam produxit.



Cæterùm præmonendum est Publicum, quod hoc in casu vomitoria remedia semper, etiam si ejusmodi homo ad vomitum inclinaret, maximo cum nocumento adhibeantur, cum ejusmodi ad vomitum propensio, non à stomacho, sed à coarctato cerebro ortum ducat.

---

*Lit. C.*

## Instructio

Qua ratione infortunia à repentina Musti in Cellario effervescentia causari solita præverti, aut ibidem suffocatis subveniri possit.

**U**t ferventis Musti perniciosus vapor constanter liberum meatum habeat.


*Primò*: Summè necessarium est, ut non modò portæ Cellariorum, sed omnes eorundem fenestræ, & spiracula, occasione Musti illationis immediatè aperiantur, & eadem eousquè, donec Mustum à fervore cessaverit, semper pateant. Ubi Mustum fervere cæperit



*Secundò*: Antè patentem Cellarii Portam, & in ipſo etiam Cellario, ubi gradus inchoant, ſeu ad ultimos gradus ignis conſtruatur, & inceſſanter alatur.

*Tertiò*: Ubi vapor ferventis Muſti animadverſus fuerit, nemo abſquè lumine ad Cellarium deſcendere audeat: hinc homo ſemper face, vel craſſiore candela proviſus ſit, & hac accenſa aliquot gradus deſcendere tentet, vel facem, aut candelam craſſiori ferreo filo appenſam præviè ad Cellarium demittat. Si hac ratione præmiſſæ ad Cellarium candelæ flamma, in globum arctetur, & ſenſim imminuatur, tutum non eſt ad Cellarium deſcendere; ſi autem lumen exſtingueretur, eò pernicioſius eſt, nec ullus eotùm abſquè certo vitæ periculo deſcenſum tentare poteſt: hoc in caſu


*Quartò*: Optimum eſt, duas aut plures de charta conſectas ignivomas Granatas ſuccendere, & ſucceſſivè ad Cellarium projicere, per harum enim vehementem ſonitum noxius Muſti vapor, magnâ vi diſpergitur, & per apertas portas, & ſpiracula Cellarii foras propellitur. Poſt hoc



*Quinto:* Debet rursùm præmissa modalitate medio facis, aut majoris candelæ explorari, an securum sit ad Cellarium descendere?

Si nihilominùs aliquis neglectis his Præcautionibus, ad repletum pernicioso ferventis Musti vapore Cellarium, descendere præsumpserit, ibidemquè propriâ culpâ oppressus, & suffocatus fuerit, non oportet unum post alium ad ejusmodi infortunatum exportandum ad Cellarium mittere, nisi prius præexpositâ modalitate aer Cellarii rarefactus, & mundatus, & securitas descensûs mediô facis, aut candelarum explorata fuerit. Ubi dein hujusmodi suffocatus homo eductus fuerit, possunt ad eum restituendum, omnia ea media, quæ sub Lit. B. ad juvandos Carbonum vapore oppressos allata sunt, adhiberi.





*Lit. D.*

## Instructio

De Modo diù obstructos Fontes purgandi, & ibidem suffocatos homines juvandi.

**P**riusquàm diù conclusorum Fontium Purgatio inchoetur

*Primò:* Necessarium præcipuè est, ut tribus, quatuor, aut pluribus diebus prius referentur, & aperti relinquantur, ut noxius exindè vapor liberum exitum habeat, intereà autem

*Secundò:* Quotidie multum aquæ desuper infundatur, & successivè plures ignovonæ Granatæ filo ferreo appensæ succendantur, & ad certam profunditatem ea cum cautela demittantur, ne antè disruptionem in uligine, fortè in fundo fontis existente suffocentur. Utrumquè hoc perniciosum vaporem cum vehementia dissipat, & per superiorem meatum expellit.

*Ter-*




*Tertiò*: Non obstante tamen eò, quod præmissâ methodò præclusus in fonte aer purgatus sit, priusquàm quispiam ad fontem descendat, oportet securitatem accensâ crassiore candelâ, & ad fontem demissâ explorare, si accensa maneat tutum erit descendere, si autem extinguatur, oportebit purgationem fontis suprà expositâ ratione eousque continuare, donec demissa rursùm candela accensa permanferit.

Si nihilominùs in profunditate fontis unus altervè à non fatis dissipato, & expulso vapore opprimeretur, ubi è fonte extractus fuerit, ad eundem restituendum eadem media, quæ Lit. B. ad reducidos carbonum vapore suffocatos suasa sunt, adhiberi debent.

Deniquè observandum est, quod ad educendos suffocatos in fonte homines, singillativè descendere alii non debeant, sed prius sub Lit. C. memoratâ methodò aer fontis purgandus, & accensæ candelæ demissione explorandum, an eò descendere tutum sit?





*Lit. E.*

## Instruētiō

Exhibens medium contrā rabidi Canis Morsum, per Serenissimum Regem Borussiæ publicatum.

**F**uror, qui morsum rabidi canis sequitur, corrumpit rationem humanam, conspectum causat cuiquē tremendum, & omne sensu præditum cor ad compassionem commovet: Ea tamen media, quæ hucusquē tam ad prævertendum furorem, quam ad eundem supprimendum copiosè adhibebantur, sæpè quidem optimo cum effectu applicabantur, ita tamen certa non erant, quin sæpius ob eorum inefficaciam infortunati homines vitam suam miserè perdidissent.

Posteaquàm Sua Regia Majestas intellexisset, reperiri in Silesia Rusticum, qui contra rabidi canis morsus medium quoddam, ex Nobilis cujuspiam Familiæ caritate, magna cum sua utilitate teneret, quod fide dignarum Personarum ex passio-  
ne



ne nunquam ineffaciter applicitum fuerat, si illicò post morsum, præscriptâ methodò, à Cane rabido morsus, illo usus est, dignabatur eadem Regia Majestas, ex Paterno in Suas Provincias affectu exactameatenus investigationem procurare; & hunc in finem supremo Suorum Medicorum Collegio clementissimè præcipere, ut in Arte versatum Individuum, & in modo instituendæ investigationis benè instructum ad faciem loci certitudinem rei exploraturum exmittat; ubi omnia, quæ de hujus medii efficacia dicebantur, per fassiones juratorum testium confirmata fuissent, Possessoremquè ejusdem notabili Summâ Sua Regia Majestas remunerata fuisset, exmissò per Collegium Medicum Pensionatò Regiò Chirurgò, non modò Constitutum hujus arcani communicavit, sed ipsamet cum eodem ad campos exivit, & eam Speciem Majalium Vermium, quæ principalem partem ejusdem constituunt, congregavit, ac quali methodo iidem tractandi, qualiterquè medium hoc confici debeat, eundem instruxit.

Supremum itaque Medicorum Collegium satisfacit clementissimæ intentioni Sux Regiæ Majestatis, si Publico memoratum Medium, fideliter consignet, & ejusdem




dem compositionem ea in mensura communicet, in qua ab ejusdem primo possessore obtinuit. Et ne quidpiam de ejusdem medii constructione intereat, censuit idem Collegium utile fore, in descriptione ejusdem parùm, aut nihil omninò permutare, nec elegantioribus verbis eandem adornare, sed potius quantum intelligi poterant, genuinà primi Possessoris verba, in eadem reservare.

Ut autem sciri possit, quid genuinè sub Majalium Vermium nomine intelligatur, & à Bruchis, quos magni nominis Medici, præstantissimum, contra rabidorum canum morsus, remedium esse existimant, discerni possint; necessarium est horum, ita nominatorum Majalium Vermium specialem, etiamsi brevem, in quantum tamen possibile vivis quasi coloribus eos experimentem descriptionem communicare.

Majalis Vermis, vel Majalis Scarabæus, est insectum, quod Linnæus ad Classem *Colcopteriorum* refert, & *Meloe* nominat, non rectè nominatur Bruchus, & permiscetur cum communi specie Bruchorum, videlicet *Scarabæo Melolontho* Linn. à quo tantum differt. Duplex est Species Majalium Vermium. *Prima sic dicta Meloe.*  
*Pro-*





*Proscarabæus Linnæi* (Sist. Nat. T. I. Pag. 419. Germanicæ Versionis, Parte V. Tom. 1. Pag. 312. Faun. Svec. Pag. 286. etiam *Anticantharus* appellatus, cujus optima descriptio apud *Schæfer. Elem. Entomol. T. LXXXII.* reperitur) Habet debitam unius digiti latitudinem, & non nunquam  $\frac{1}{2}$  pollicis longitudinem; fæmella est major masculo, alis provifus non est; cooperculis tamen alarum ad medium corpus tegitur, mollis fermè instar concinnatæ *Hircinæ* pellis, niger, punctatus, & sine splendore est, hinc non volat, sed lentè graditur. Totum ipsius corpus molle, & nigrum est, versicoloribus, ex cæruleo, viridi, & flavo temperatis annulis cinctum, caput, pedes, & venter ipsius magis ad rubrum, quàm violaceum accedunt. Cirri ipsius 12. articulis distinguuntur, quorum medii crassiores sunt extremis. In anterioribus, & mediis pedibus 5. in posterioribus tantum quatuor articulos habet. Ut primùm oleo immergitur, interit. Singulare hoc etiam in ipso est, quod ad contactus, ex articulis densum, pinguem, & flaventem, oleosum succum, quo tangentes digiti tinguntur, emittat: Succus hic pro ut & ipsum Insectum si conteratur, amœnum ex se odorem spargit.



*Secunda Species*, quæ etiam genuina, Majalium Vermium est; (*Meloe Majalis* Linn. l. c, Frisch. Descript. Insectorum Parte VI. Tab. VI. Fig. 4.) Hæc species minor est, rubris in inferiore corporis parte annulis cingitur, per quod à priorè, cum qua in exmissione succi ad contactum, convenit, distinguitur. Hi Majales Vermes sunt principale Constitutum supralaudati Arcani. Detinent se potissimum sub sole in novalibus, Pratis, Tumulis, & debent Mense Majo sicca, & calida tempestate colligi. Quia verò ad minimum contactum, prædictum Succum, qui hujus medicinæ pars principalis, & maxime necessaria est, egerunt, ne ille dilabatur, digitò contingi simpliciter non debent, sed mediò duorum lignellorum, quin tamen conterantur, ad ollam, vel vitrum imponi. Ut primùm domum delati sunt, capita ipsorum, absquè contactu nihilominùs forficibus super vitro, in quo mel mundum est, abscinduntur, & abjectis his, corpora ipsorum ad mel injiciuntur, vitrum ipsum clauditur, & ad recentem, & temperatum locum ponitur. Si cum fluxu temporis mel nimium exsiccaretur, affunditur modicum de recenti & rursùm eidem loco redditur, ubi 2. etiam 3. Annis conservatur, juxta secuturam methodum, in neces-



cessitate utiliter applicandum. In abscissione capitum sollicitè curandum est, ne defluus ex ipsorum corpore succus dilabatur, sed ut unà cum corpore mel ingrediatur; hic enim ad activas hujus medicinæ partes pertinet. Dum Vermes hi meli imponuntur, debent ad unum Sextarium 200. frusta de nigris 175. verò de aurei coloris Vermibus accipi.

Partes hujus medicinæ, & modus eandem præparandi est,

Accipiantur 1.) de vermibus in melle jacentibus, cum adhærente melle 24. frusta. 2.) Theriacæ 2. Unciæ. 3.) Ebeni drachmæ 2. 4.) Serpentariæ Virginianæ drachmæ 1. 5.) Plumbi rasuræ drachma 1. 6.) de fungo forbi Sylvestris 20. Grana. 7.) adhuc modicum mellis, in quo Vermes conservabantur. Si sufficiens Theriaca deesset, hujus in vicem accipitur pulmentum sambuci.

Hæ species hac ratione tractantur; 1.) Vermes è melle excepti super orbe cultro, aut alio instrumento in minutam massam confecantur, & comminuuntur. 2.) dein Theriaca admiscetur. 3.) Ebenus limatur, & per dentum cribrum, ut tenuissimus

B 2

lit,



fit, transmittitur, & massæ imponitur. 4.)  
 Serpentaria in pulveres minutos redacta.  
 5.) Prout etiam fungi forbi silvestris in ex-  
 posita quantitate, medio radulæ contriti.  
 6.) Plumbi rasura, quæ in fornicibus ve-  
 nalis exstat, etiam in præscripta quantita-  
 te, massæ adjiciuntur, & subiguntur. 7.)  
 potest etiam modicum mellis, in quo Ver-  
 mes erant addi: hæc dein massa benè in-  
 vicem commisceri. Quò peractô, medi-  
 camentum hoc pro usu plenè perfectum  
 erit. Si tamen animadverteretur, quod  
 massa hæc densior sit, debet de melle, ex  
 quo Vermes excepti sunt, quidpiam ad-  
 jici, ut Ecligma fiat.

Ut autem medicina hæc diutius con-  
 fervetur, debet in vitro, vel testa tempe-  
 ratô locô imponi; melius nihilominus est,  
 majori in quantitate eandem non parare,  
 mucore enim facilè corrumpitur, & per  
 hoc inefficacior fit. Si itaquè contingeret,  
 quempiam Hominem, aut Pecus, à rabido  
 Animali morsu lædi; debet hæc medicina,  
 naturæ, & temperamento læsi accomodari,  
 & juxta sequentis Tabellæ directionem  
 eadem ipsi porrigi.

# Tabula I.

Ætas Homi- num.		Viri.	Femine.
Anni.		dr. gr.	dr. gr.
80	) Hæc quantitas potest pro ratione naturæ ipsius Patientis im- minui.	2	1 30
70			
60			
50			
40			
30			
25	) Similiter.	1 30	1 15
20	) Similiter.	1	50
15			
12			
10	) Similiter.	— 40	30
6			
5	) Similiter.	— 30	26
4			
3			
2	) Similiter.	— 24	20
1			

*Nota:* Mater lactentis Proles supra notatam Portionem sumere debet.


## Tabula II.

Magnitudo & Natura Animalium.	Equi, Boves & Vaccæ.		Setigeri.		Oves & Ca- præ.		Canes.		Altilia.	
	dr.	gr.	dr.	gr.	dr.	gr.	dr.	gr.	dr.	gr.
1. Ubi Pecus plenariè ex- crevit, & so- lidum est.	3	30	2	30	1	50	2	—	1	—
2. Quando in medio incre- mento est.	1	45	1	50	1	—	1	30	—	35
3. Dum valde juvene est, ut Vitulis, Seti- geris, Hin- lis, aliquot Hebdomada- rum.	1	—	1	—	—	—	—	—	—	—
4. Nimiùm juvenibus O- vibus, Capris & Canibus.	—	—	—	—	—	50	1	10	—	—

*Nota:* Apud Equos, Boves, & Vaccas &c. debet superius exposita Quantitas dividi, & dimidium manè iisdem dari.

Si itaque Homo à rabido cane morfus, superius exposita methodo unam Portionem sumplerit; debet 24. horis à cibo, 12. horis à potu semet abstinere; evolutis 12. horis si sitis esset vehemens, potest eidem de floribus Sambuci coctum, vel in defectu horum ordinarium Thee ad bibendum porrigi. Patiens tempore totò, quò curatur, à recenti aura caveat, & in temperato cubili, & primis quidem 12. horis in lecto sudet. Superatis 24. horis calefactum indusium induat, infectum illicò, pro ut & induvium sudore madidi lecti, eluatur, & in aere libero seriò exsiccetur, melius tamen est, indusium ipsum cremare. Hyeme, debet cubiculum semper bene calidum servari.

Vulnus, quod fortè rabidi animalis morfus in corpore reliquit, Vini, vel Cerevisiæ aceto (adhoc posterius modicum salis admiscetur) in defectu aceti falsâ aquâ mundè eluatur, & sæpius per diem intinctis ad calidum acetum, vel falsam aquam telis obvolvatur; Vulneri etiam Unguentum Basilicæ, vel recens benè falsum Butyrum applicetur, & sæpius oleò Scorpionum, vel Majalium Vermium (quod postremum ex oleo olivarum, in quo Majales Vermes distillati sunt, constat) per-



ſpergatur, ut illud diutius apertum maneat, & benè emundetur; dein ex ſe coaleſcet. Præter hæc Patiens, ubi etiam convaluerit, ab extraordinaria inflammatione, vehementi corporis, & animi motu, ab accenſivis potibus, Vino, Cremato, forti Cereviſia, & aliis inordinationibus ſolicité caveat.


In cura Pecorum ſequentia obſervanda erunt: à rabido cane læſa, ſtatim poſt acceptam medicinam ad ſeparatum à ſano pecore ſtabulum præcludantur, & non prius ad auram exire permittantur, quàm cura, quæ 24. & 48. nonnunquàm etiam plures horas durat, plenariè peracta ſit, ſi dein è ſtabulo exiverint, & ad aliud admiſſa fuerint, oportet ſtabulum, vel quodcunquè receptaculum, ubi infirmum Pecus clauſum fuerat, mundare, aliàs & homini, & pecori periculofum futurum. Sub cura poſito infirmo huiusmodi pecori 24. horis Pabulum, 12. horis potus dari non debet. Si vulnus à morſu accepit, eatenùs idem obſervandum, quod de vulnerato per rabidum canem homine dictum eſt. Eluitio vulneris ſolicité peragenda, ne ſaliva rabidi animalis ibidem remaneat, & ſanguini permixta furorem cauſet. Perſonæ, quæ cum læſis huiusmodi hominibus,

vel



vel pecoribus agunt, & iis medicamenta applicant, debent de hac medicina portionem unam sumere, fieri enim potest, ut halitu, vel salivâ infectorum contingantur, undè tristes sequelæ præmetuendæ forent, nisi sumptione medicinæ præverterentur. Observandum id etiam, quod si per morsum rabidi canis homo, vel pecus non quidem vulnus sed tantum contusionem accepit, potest, ut superius memoratum est, teiis calido aceto, vel falsæ aquæ intinctis obolvi, aut si contusio acutiores dolores caufaret, per noctem Vesicatorium eidem apponi, ubi dein vesicam attraxit, aperiri, & eâ ratione, quâ vulnus tractari.

Quia verò non omnis hanc sibi medicinam parare potest, eapropter necessarium esse censuit supremum Medicorum Collegium, omnibus Statûs Borusfici Pharmacopæis injungere, ut juxta datum præscriptionem pro jurata sua fide, quâ ad reliquarum medicinarum suarum confectiorem obligantur, hanc quoquæ præparent, & in suis Pharmacopoliis constanter servant; quo quilibet ubi opus fuerit, ab ipsis illam habere possit. Cum autem necessarium sit, ut hæc medicina



statim ab accepto vulnere sumatur, hinc quodlibet benè ordinatum Dominium, vel in defectu hujus Domini Prædicantii, vel eorum æditui, aut Judices loci, vel diverfitores, obligabuntur hanc semper præmanibus habere, quod eò facilius præstare poterunt, postquàm medicina hæc in omnibus Pharmacopolis prostackit : prout etiam eadem antecedenter, tam in Regio Pharmacopolio, quàm apud Dominum Assessorum, & Apothecarium Bell, & in Regia Pensione constitutum Salomonem, Berolini gratuitò distribuetur. Ut autem de efficacia hujus medicinæ eò certius constet, omnibus Physicis præcipitur, ut supremum Medicorum Collegium informet, an eadem, promissam efficaciam præstiterit. Berolini 23. Junii 1777.

Regio-Borussicum Medicorum Supremum Collegium.



*Lit. F.*

## Instru&ccedil;io

### De Infolatione.

**S**i Ligna, Lapides, Metalla, etiam sub temperato Climate, diutius solis radiis exposita, adeò incalescant, ut absquè læsione tangi nequeant, facilè quisquè concipiet, quod humanum quoquè caput, Solis ardorem per plures dies, absquè gravi periculo sustinere non possit.

Condensatur per hunc sanguis, vasa cerebri siccantur, effectiva inflammatio, & plenaria obstructio sequitur, quæ non rarò inopiam, & repentinam mortem producant. Malum hoc sub Nomine Infolationis notum est, & oritur ex vehementia in caput humanum incessanter incumbentis solis.

Signa hujus sunt; post longiorem in patienti, ubi sol pleno ardore incubuit,

mo-



moram, secutus vehemens capitis dolor, rubei, ficci, accensi, & lucis impatientes oculi, febris ardens, quam modò infomnium, modò lethargus comitatur.

Grave periculum est, si quis longiori tempore Solis ardori expositus esse debeat, multò tamen majus, si sub Solis ardore dormiat, vel planè nimia ebrietate oppressus, jacere debeat. Si vinum vires suas solis cum ardore uniat, mors eò celerius sequitur. Vix est Annus, quo in mediis viis exanimes Rustici, quos ibidem ebrietas, & mors oppressit, non reperiantur.

Crescit periculum si Rusticus, tempore campestris laboris, Miles longiori itinere, ubi non modò capite, sed totò corpore incaluit, repentè gelidam, aut fontanam recentem Aquam in vehementi sua siti hauriat.


Seriò itaque adhortandus est Rusticus, ne tempore campestris sui laboris, maximè messis, Miles verò severè inhibendus, ne occasione „diuturni, & longio-

gioris itineris, ubi sanguis accensus, & in fervore est, gelidam, & recentem fontanam illicò bibant.

Ad prævertendum hoc malum fervit, si chartam bibulam, vel telam pluries complicatam, aqua modicò acetò permixta humectet, & sic dum se quis Solis radiis diutiùs exponere debet, super caput portet, sitim verò non nisi tepente jam aqua restinguat.

Hoc malò correptus illicò curari debet. Curatur autem instar aliarum inflammationum, venæ incisione, refrigerantibus, & humectantibus medicamentis, emollientibus, & refrigerantibus potionibus, Clystere, Cataplasmatibus, & Balneis.

Si Febris, & dolor capitis vehementior sit, pulsus arteriæ potens, plenus, durus, vel tensus, cura, cum copiosiore per venæ incisionem Sanguinis emissionem inchoari debet, & venæ incisio, si vehementia febris continuaret, iterari.



Post venæ incisionem efficacissimè juvant, & citissimè dolorem leniunt tepida pediluvia; Si tempus, & circumstantiæ admittant, potest medium, vel totum corpus balnari. Balnea autem, prout pediluvia tepida sint. Fervida Balnea, quæ Rustici adhibere solent, nocerent potiùs, quàm prodesse. Emollientia Clysteria ex malvæ, hordeo, & semine Lini confecta, etiam multum profunt.

Infirmo copiosum Lac de Peponum, Cucumerum, & Cucurbitarum semine expressum, in defectu hujus aqua de Hordeo cocta, cum modico aceto, vel crudorum caulium acido jure permixta, vel quod præstantius est, Oxigalum, vel serum lactis cum modico aceto ad bibendum dari debet. Opulentiores ex munda aqua, cum Zacharo, & Pomi Citrini succo confecto Potu delitiosè utuntur. Externè ad frontem, tempora, & totum caput, possunt telæ recenti aquæ, & modico vini, aut rosarum aceto intinctæ, applicari.

*Tissot* in hoc, & aliis etiam morbis suadet Balnea frigida. Probat eorum efficaciam propriis experièntiis.

